



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 61. Laurentii Flisci Cardinalis decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

textum Originarium plurimos , eosque <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 difficillimos S. Paginæ textus dilucida-  
 vit. Extant insuper quædam Synopses  
 Historiæ universalis profanæ & Sacræ,  
 dogmata ex Conciliis collecta , & flo-  
 rilegia ex S. Patribus Græcis ac lati-  
 nis præter compendium Commentarii  
 Theologici Patris de Valentia & ex-  
 cerpta quædam ex recentioribus Theo-  
 logis & veteribus Poetis , quæ omnia  
 nondum edita Patri Joanni Philippo  
 Ptolomæo fuere consignata. Denique  
 typis vulgavit Anconæ orationem ,  
 quam in funere Nicolai Bona Ragusii  
 habuit.

## §. LXI.

*Laurentii Flisci Cardinalis de-  
 cessus.*

Laurentio, cuius obitum hoc anno luxe-  
 rat Roma, natale solum erat. Genua-  
 Parentes habuit de illustrissima sane  
 familia, Patrem Innocentium Co-  
 mitem de Lavania, Matrem Mariam  
 Joannam de Carmagnola, claram genere  
 nomineque fæminam, nec suarum vir-  
 tutum præstantia Marito imparem.  
 Horum summa cura educatus, una-  
 cum lacte ea virtutis semina imbibit.  
 quæ in omne tempus animo adhæ-  
 sere. Decimum ætatis annum agebat,

Y 4

cum

Sac. XVIII. cum Parmam missus, in Seminario  
A. C. 1725. Nobilium liberalibus disciplinis imbue-  
retur: inde Bononiam profectus in  
Flischorum Collegio, quod familiae e-  
jus Gentilitum est, sua studia insigni  
cum laude prosequebatur. Romam  
dein accitus a Jacobo Fransonio, cui  
arcto affinitatis vinculo junctus erat,  
Præsulum Romanorum Collegio adscri-  
bitur, ubi mores candidos, suaves &  
sine fastu graves præferebat, sique  
fiebat, ut carus cunctis, quibus uteba-  
tur, acceptusque esset, ipsiusque Pon-  
tificis admirationem in fe raperet, a  
quo etiam juvenis adhuc Urbinatis Le-  
gationi, regendisque variis subinde  
ditionis Ecclesiasticæ Civitatibus ad-  
movebatur: quo in munere, cum vi-  
ginti omnino annos exegisset, ab In-  
nocentio XI. Romam revocatus, Se-  
cretarius Congregationi Rituum datus  
est. Mortuo hoc Pontifice Laurentius  
brevi palæstram nanciscebatur, in qua  
insignis ejus virtus ad perfectionis ideam  
probe efformari posset; quippe ab Ale-  
xandro VIII. Nuntius Pontificius Vien-  
nam ablegatur: ubi Leopoldo Impera-  
tori ejus agendi ratio ita probata erat,  
ut eo Ministro Sacræ Sedis negotia  
feliciter absolverentur, applaudente  
ipso summo Pontifice, a quo in rei bene  
gestæ præmium Avenionensis Pro. Le-  
gatus,

gatus, & paulopost ejusdem Urbis Archi- Sæc. XVIII.  
 episcopus nominabatur. Postquam plures A. C. 1726.  
 per annos hanc Ecclesiam verbo & exem-  
 plo optime rexerat, a Clemente XI.  
 ad Ludovicum XIV. Galliarum Regem  
 Nuntius extra ordinem Apostolicus  
 decernitur, ut Catholicos Principes  
 immani inter se bello scissos ad concor-  
 diam reduceret. Hoc negotio, quan-  
 tum licuit, prospere acto ex Archiepi-  
 scopatu Avenionensi ad Genuensem  
 transferebatur, paulopost Romana Pur-  
 pura decoratus. Igitur Roma va-  
 lere jussa Genuam contendit, ubi ta-  
 men brevi cum Senatu collidebatur,  
 eoquod Pontificis jussu excommunica-  
 tionis sententiam in Thomam Granel-  
 lum FF. Minorum de Observantia Pro-  
 vincialem vibratam promulgasset. Re-  
 tamen composita per viginti adhuc an-  
 nos Ecclesiam suam pie ac laudabiliter  
 rexit, tandem vero tot auctus meritis,  
 titulisque honoratus die prima Maij  
 moralitatem exuit, anno ætatis suæ  
 octogesimo secundo.

### §. LXII.

*Fabritius Paulutius Cardinalis  
 mortuus.*

Tertium inter Cardinales hoc anno  
 defunctos locum tenet Fabritius  
 Y 5 Pau-